



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm IX. Præterea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM IX.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Inter quosdam Laicos, & Religiosos controuersia erat de iure præsentandi ad Ecclesiam parochialem; quam ita transegerunt, vt ius præsentandi ad laicos pertineret; Religiosis autem ex dicta Ecclesia pensio annua, quæ antea dari solita non est, proueniret. Hanc pactiõnem simoniacam esse, respondit Lucius III. ac proinde irritam, ex quo Religiosi nullum commodum percipere possint,

SUMMARIVM.

Super iure patronatus non licet transigere, interuentu rei temporalis.

NOTANDVM I. Super iure patronatus, seu iure præsentandi non est licitum transigere, interuentu rei temporalis. Nam res spiritualis absque simonia promitti, aut dari non potest pro pecunia, seu alia re temporali & pecunia æstimabili, c. super eo, hoc tit. Atqui ius præsentandi ad beneficium perinde ac ius eligendi, vel confirmandi, spirituale est, vt docui lib. 4. tr. 1. c. vlt. n. 60. Ergo super iure præsentandi interuentu rei temporalis, ac pretio æstimabilis transigere simoniacum, & illicitum est. Quomodo autem ius patronatus vendi possit, non per se, sed per accidens, seu accessorie, dixi lib. 4. tr. 2. c. 13. q. 9. §. Denique.

CAPITVLVM X.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat de Capella quorundam Monachorum, vtrum subiecta esset Ecclesie matri: Monachi cõfitebantur subiectam olim fuisse; sed postea transactione quadam liberatam; quia censum annuum constituerant matri Ecclesie soluen-

dam, vt capella a subiectione eius eximeretur. Sed pro maiore, seu matrice Ecclesia allegabatur, quod super spirituali subiectione transigere non liceat. Ad hæc respondet Cælestinus III. Cùm Fratres confiteantur, capellam illam matri Ecclesie subiectam fuisse; at verò per transactionem, quippe irritam & simoniacam, liberata non sit, ideo contra illos sententiam ferendam esse. Neque referre ait Pontifex, quod determinatè non sciatur, quantus fuerit census ille: quia quantuscunque fuerit, constat transactionem de censu soluendo pro exemptione à spirituali subiectione simoniacam esse.

SUMMARIVM.

1. *Super spirituali subiectione non licet transigere, data re aliqua temporali.*
2. *Non refert ad simonia peccatum, an quis pro beneficio v. g. acquirendo multum, vel parum dederit, si adsuit intentio instituendi reciprocam quasi pactiõnem.*
3. *Si constat personas, vel locum olim alteri subiectum fuisse, presumpcio est adhuc eum subiectum esse, nisi contrarium ostendatur.*

NOTANDVM I. Accidit interdum, vt Reus excipiendo, fateatur intentionem seu allegationem aliquam Actoris. Quo casu Actor reijcere, vel oppugnare potest exceptionem, acceptando interim confessionem, quæ in ea continetur. Vt in proposito exemplo: Cùm Monachi excipiendo dicerent, se super subiectione transigisse cū ecclesia matrice; Prior eius acceptauit, quod fatebantur capellam subiectam fuisse; sed transactionem tanquam irritam, & simoniacam reiecit. Ita Imola hîc n. 2. Abb. n. 1.

NOTANDVM II. Super spirituali subiectione non potest fieri transactio, dato aliquo temporali. Ita etiam dixi in c. præced. & c. super eo, hoc tit. Et tradunt hîc Hostiens. & Imola in fine c. vbi bene addunt contra Innocentium; Si matrix Ecclesia capellæ censum soluere debuisset, quod Monachi non potuissent illum remittere, pro eo vt capella

Ecces pella